

me peccare confiteor, et tuac mallem non audire cantantem. Ecce ubi sum. Flete mecum, et pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, unde facta procedunt. Nam qui non agitis, non vos haec movent. Tu autem, Domine Deus meus, exaudi, respice, et vide, et miserere, et sana me, in cuius oculis mihi quaestio factus sum, et ipse est languor meus.

CAP. XXXIV. DE OCULORUM ILLECEBRIS PERICULOSISSIMIS; PROPTER
PULCHRAS FORMAS DEUS CREATOR LAUDANDUS.

Restat voluptas oculorum istorum carnis meae, de qua loquar confessiones, quas audiant aures templi tui, aures fraternae ac piae, ut concludamus tentationes concupiscentiae carnis meae, quae me adhuc pulsant ingemiscentem, et habitaculum meum, quod de coelo est, superindui cupientem. Pulchras formas et varias, nitidos et amoenos colores amant oculi. Non teneant haec animam meam; teneat eam Deus, qui fecit haec, bona quidem valde; sed ipse est bonum meum, non haec. Et tangunt me vigilantem totis diebus, nec requies ab eis datur mihi, sicut datur a vocibus canoris aliquando ab omnibus in silentio. Ipsa enim regina colorum lux ista, perfundens cuncta, quae cernimus, ubi ubi per diem fuerit, multimodo adlapsu blanditur mihi aliud agenti, et eam non advertenti. Insinuat autem se ita vehementer, ut si repente subtrahatur, cum desiderio requiratur; et si diu absit, contristat animum. O lux, quam videbat Tobias, cum clausis oculis istis filium docebat vitae viam, et ei praebat pede caritatis nusquam errans: aut quam videbat Isaac praegravatis et opertis senectute carneis luminibus, cum filios non agnoscendo benedicere, sed benedicendo agnoscere meruit: aut quam videbat Jacob, cum et ipse prae grandi aetate captus oculis, in filiis praesignata futuri populi genera luminoso corde radiavit, et nepotibus suis ex Joseph divexas mystice manus non sicut pater eorum foris corrigebat, sed